

Q. D. B. V.

M. IMMANVELIS PROELEI,

STOLP. POMERAN.

DE

PRETIO
ERVDITIONIS

EIVSQVE MENSURA
MEDITATIONES.



I E N Æ,

REC. LITTERIS IOH. FRIDERICI RITTERI, 1719.

18



M. IMMANUELIS PROCELII

STYLI FORMAM

DE

PRÆTIO
ERYDITIONIS

EVISQVE MINVRA

MEDITATIONES.



I 1710

REG. PATENTIS NON ERIT LEGIS DIVERTI, 1710



MEDITATIONES BREVIORES
DE
ERVDITIONIS PRETIO EIVSQVE MENSURA.
PRÆPARATIO AD MEDITATIONES.

§. I.



*E*ruditioni, cuius gloria & comparandi studio plerique tenentur, ingentia passim ab æquis rerum æstimatoribus pretia poni videas. *Iustinianus* (a) eruditibus legum Cultoribus gubernacula Reipublicæ; Professoribus (b) privilegia atque immunitates; Studiosis (c) etiam *Fridericus Imp.* non dissimilia, in præmium eruditi laboris defert. Nostræ quoque, id est, *sacra litera* (d) Eruditionem auro, gemmis & oblectamentis omnibus pretiosorem & anteferendam esse pronunciant. Ut dubitari non possit, eam esse præcipuum dignitatis & existimationis fundamentum.

Ture Civili
& sacro
magna E-
ruditionis
est existi-
matio.

(a) Procem. Infit. s. vlt. (b) L. 6. & 11. C. de professoribus & medicis. l. 8. ff. §. 4. de vacatione & excusatione munerum Coll. tit. C. de studiis liberalibus vrbis Romæ & Constantinopol. (c) Auth. Habita C. ne filius pro Patre. Add. Hunn. Richter. ad dict. Auth. & Bechmann. de privilegiis Studioforum. (d) Prouerb. I, 23. Eccles. VI, 12, & alibi passim.

§. II.

Enimvero cum plerique mortalium (a) sæpe de facultatibus amplius quam his insit sperent, adeoque se

Quid sit e-
ruditio,
pretium &
eru-

mensura,
obscurum
adhuc est;

eruditos vulgo profiteantur, vt pretium eruditionis ferant, definiendum prius ex claris principiis & rationibus est, quid sit *eruditio*, quid *pretium*, quid *mensura*, vt deinceps liquido intelligi possit, quodnam quantumque eruditioni iustum statuere pretium conueniat. Scire leges, Ictus Celsus (b) inquit, hoc non est verba earum tenere, sed vim & potestatem: Et scire quid sit eruditio, hoc non est vocabulum didicisse, sed rei huius naturam eiusque causas ab origine pernoscere Catonis effato moniti, nos vera rerum vocabula aut perdidisse, aut perdere potuisse.

(a) Instit. ex quibus causis manumittere non licet §. 3. (b) L. 17. D. de legibus SCtis & long. consuetudine.

§. III.

Veritatis
inuenien-
dæ funda-
mentum
non est au-
ctoritas.

Quod vt perspicue cognoscatur, remouenda hoc loco tantisper nobis est doctorum hominum auctoritas, quæ præiudicii aut alterius nominis obiectu facile subuertitur. Neque etiam nobis in suscepto argumento viam præmonstrantem plane consulere licuit. Nam quæ doctissimi Viri, *Bodinus*, (a) *Bæclerus*, (b) *Grotius*, (c) *Pufendorfius*, (d) *Uffelmannus*, (e) alique de rerum pretio atque de *Existimatione* pererudite tradiderunt, ea pro ipsorum instituti ratione ad res tantum materiales, aut ad genium ciuitatis vt plurimum accommodantur, non tam ad animum philosophicum in rerum principiis deducendis hærentem.

(a) In responsione ad Paradoxa Malestretti de caritate rerum eiusque re-
mediis pag. 11. seqq. edit. Conring. (b) In dissert. de mensura pretii,
Academ. n. 29. p. 897. Edit. 2da (c) de I. B. & P. lib. II. c. 12. §. 14. (d)
de Iur. N. & G. l. 5. c. 1. & l. 8. c. 4. de Officio H. & C. l. 14. II. 14. (e)
diss. Pol. de mens. pretii rer. & re nummaria in Rep. recte constituenda.

§. IV.

Quapropter vt certo fundamento nostrum sibi Veritas inuenitur re-
constet iudicium, a meditatione propria atque a nobis-
met ipsis incipiendum erit. Sed qua potissimum via? cta medi-
Plato (a) ex idearum in animo nostro existentium con-
templatione sapere nos docet. *Mamelsburiensis Philo-* tatione, iu-
sophus (b) ad veritatis investigationem dubitationum dicio Pla-
tenebras commendat. *Recentioris aui Philosophus*, (c) tonis, Hob-
qui sectæ nomen dedit, ad intelligendam rei certitudi- besii, Car-
nem dubitationem generalem, quam tamen ad vsum tesii & Ari-
vitæ extendere prohibet, (d) & idearum in mente no- stotelis.
stra contemplationem (e) necessariam esse docet. *Sta-*
girita (f) interim, vetustior Philosophus, naturæ quan-
tam ingenitam vim vsu rerum excitandam in nobis esse
trahit, quæ cognitioni perfectæ, aut quemadmodum
schola loquitur, actu existenti præbeat occasionem. Vt
igitur doctrinæ gratiam apud omnes ineamus, sequa-
mur, si placet, omnium vestigia, nemini displicituri,
& fortassis in veritatis inquirendæ studio feliciores, si
vsu rerum & experientiam ex placito *Aristotelis*: &
sobriam dubitationem, i. e. inquisitionem cum idearum
menti nostræ se exhibentium attentione ex *Cartesii*: &
tenebrarum discussionem ex effato *Hobbessii*: & Idearum
aut perceptionum mentis considerationem ex *Platonis*
schola coniunctim attendendam esse, statuamus, omni-
umque nos discipulum ex bono & æquo profiteamur.

(a) In Parmenide & Dialog. 6. de republ. conf. Alcinoüs de dogmate Pla-
tonis c. IX. & Apuleius l. 1. (b) Apud Huber. Orat. de pedantismo.
vid. Hobbes. Epist. dedicat. quæ extat in Operibus eius sect. III. de Ci-
uiv. (c) Cartes. Princ. P. I. §. 1. 2. & Meditat. 1. (d) Princ. P. I. §. 3. de
Method. n. 3. reg. 2. p. m. 14. (e) Princ. I. §. 13. & Meditat. 3. p. m.
13. (f) Aristot. poster, Analyt. l. 2. c. 8. p. m. 254.

MEDITATIO I.

Quid & quotuplex sit Eruditio?

§. V.

Quid sit anima, definitur.

Lecto itaque affixus, aut in musæo meo velut in solitudine conclusus [namque in multitudine hominum talia conari pædagogicum & ineptum fuerit] meditari incipiam. Perpendo, versor animo, aut si mauis, *cogito*. Sed quomodo? aut quid in me animaduerto? Remotus enim studio sum a rebus omnibus. Animaduerto inquam in cogitationibus meis *desiderium* aliquod, mihi dandi res aut obiecta salutaria, quæ vno nomine *perfectiones* appellabo, vt earum possessione *beatus* & *felix* sim. Quæ cum omnibus cogitationibus meis perpetuo innectantur, definiam *mentem aut animam* meam, quod sit stylo Aristotelico *ἐντελέχεια*, actus primus, facultas, aut si placet, stylo Cartesiano *Cogitatio*, *quæ habet desiderium sibi acquirendi & intelligendi perfectiones, vt earum possessione & usu felix atque beata esse possit*. Vbi tria potissimum obseruo, 1. *Desiderium* ad recipiendas perfectiones, 2. *Perfectionum* acquiratarum intellectum & possessionem, 3. *Voluptatis* sensum ex hac perfectionum perceptione resultantem.

§. VI.

Existencia Dei & quid Deus sit, demonstratur.

Bene habet; iacta sunt fundamenta. *Nulla res nisi infinitis perfectionibus gaudens est a seipsa*. Ego vero desiderium inexplebile, aduersus perfectiones infinitas, ad possidendam felicitatem infinitam in me inuenio. Igitur concludo, *existere causam aut ens ali-*
quod

quod præter me, quod auctor tam incircumscriptæ cogitationis & desiderii mei sit, quodue explere vota mea solus perfecte possit. Ens autem illud citra dubium cogitabit, aut *intelliget*, sed quid? Obiectum sibi dignissimum, & quid potius quam suas *perfectiones infinitas*, quæ ob independentiam suam sibi statim præsentibus sunt, & quas ego mihi præstare non possum. Quo vero fine intelliget? eo certe, qui perfectionibus infinitis est proprius, ut nimirum perfectissima, i. e. *caelesti voluptate* continuo perfruatur. Quod igitur Græci *θεός*, Hebræi יהוה, Latini Deus aut Numen appellant, illud ego dicam *Ens intelligens*, aut vel propter infantiam meam vsurpare mihi fas sit, *lumen aut cogitationem infinitam, voluntate sua ex voto possidens perpetuo obiectum sibi dignissimum, i. e. perfectiones suas infinitas, atque infinita beatitudine & voluptatis sensu plenum.* In qua descriptione tria satis perspicue percipio, 1. Voluntatem benefaciendi, quoniam tendit ad perfectiones infinitas, 2. infinitum perfectionum intellectum & possessionem, 3. beatitudinem & voluptatem infinitam exinde resultantem.

§. VII.

Iam in §. v. obseruaueram, desiderium mihi ad-
esse ad acquirendas perfectiones, quibus destitutor, ut
felix sim. Quas vero cum ipse mihi dare nequeam, a
quo alio eas recipiam, nisi ab eo, qui eas in origine
(a) & perfecta ratione possidet, i. e. DEO. *Modus autem*
has recipiendi ex consideratione mentis meæ (vid.
§. 5.) & naturæ Diuinæ (vid. §. 6.) erit notitia quædam,
qua

Quid sit e-
ruditio, in-
de deduci-
tur.

qua edoctus sciam cogitationes, desideria, intellectum & voluptatem meam sic disponere, vt perfectionum diuinarum particeps fieri possim. Id quod eruditionis nomine notabo, eamque definiam, quod *eruditio sit scientia disponendi mentis meae facultates (quas §. 5. explicauimus) ad recipiendas & possidendas perfectiones diuinis simillimas, similiores, aut saltem similes, vt earum vsu felix atque beatus sim.*

(a) Jac. I, 17.

§. VIII.

Quid perfectiones diuinis similes, similiores, simillimae sint, earumque gradus explicantur

Perfectionum autem nomine intelligo modum, potentiam, vel vt vocibus clarioribus loquar, vires, robur aut pulchritudinem mentis facultatibus additam quibus homo instructus vel saluus conseruetur, vel auctus pra aliis emineat. Has perfectiones in triplici differentia positas cognoscebam, aut enim intima pectoris animique sensa directe, vt schola loquitur, penetrant atque producant *tranquillitatem animi & conscientia libertatem*, diuinisque perfectionibus sunt *simillimae*: aut *rationem* hominis reflexam atque ideas perficiunt, atque ideas perficiunt, atque *lumen naturale iudiciumque re-ctum* de rebus & scientiis ingenerant, & per hoc diuinis sunt *similiores*, quam quae ad corpus attinent: aut *corpus nostrum & res extra nos* positas perficiunt, & ea ratione diuinis perfectionibus tanquam origini suae saltem aliquo modo *similes* sunt. In singulis hisce perfectionum generibus certos quosdam profectuum *gradus* dari obseruabam. De quibus omnibus nunc breuiter, alibi (a) vero aliquantisper latius fuisse meditatam memini.

(a) Dissert. de eo, quod hominem omni ex parte felicem atque beatum facit, §, 10. 11. 13. 25. §. IX.

§. IX.

Quibus constitutis *Eruditionem* generatim dispe- Origo sci-
 fecbam in *Metaphysicam*, *Moralem* & *Physicam*. eruditionis,
Eruditionis Metaphysicæ, quæ Dei, animæ & rerum genera- & quotu-
 les affectiones explicaret, complementum est *Theologia*, plex sit e-
 quæ nos diuinæ reddit naturæ participes. (a) *Moralis*, ruditio, o-
 quæ animæ & corporis vires bene dirigere docet, per- stenditur.
 fectio statuitur notitia boni & æqui, (b) i. e. *Iurispru-*
dentia: *Physicæ* vero, quæ naturam explicat, cuiusque
 initia mentum *Mathesis* intelligitur, fastigium addit *Me-*
dicina, quæ corporis bona curat. Caterum, quoniam
 metaphysica moralis & physica doctrina, auditores suos
 ad accipiendas sublimioris pretii scientias præparat, in-
 ditum ipsis generale *Philosophiæ* nomen, quæ *Gramma-*
ticam, *Logicam*, *Oratoriam*, & *Lexica* instrumenti: *Hi-*
storiam vero illustrationis loco sibi deposcit.

(a) II. Petr. I, 4. II. Corinth. III, 18. (b) Ulpian, l. i. §. 1. ff. de Iusti-
 tia & iure.

§. X.

Quoniam igitur in varias species eruditionis riu- Quid sit E-
 abeunt, ego insitens fontibus vnde manat omnis scien- ruditio &
 tia, scilicet ex proprietatibus Dei & animæ meæ §. 5. eruditionis
 & 6. traditis, facile hominis *eruditi* ideam generaliter character,
 concipio, quod nimirum *eruditus* sit, qui (1) *Volunta-* traditur.
tem benefaciendi habet, & (2) *intellectus perfectiones*
prudenter expediendi negotia aut institutum, ut (3) per-
petuum voluptatis aut lætitiæ fructum in se percipiat,
eumque ad alios quantum licet, redundare faciat. Ver-
 ræ igitur Eruditionis tres veluti comites & proprietates
 semper *iunctimque* adesse animaduerto. Quarum pri-

B

ma

ma est Voluntas benefaciendi, i. e. desiderium sibi & aliis procurandi bona, quæ animæ, corporis, aut si licet, fortunarum incolumitatem prouehere possunt. Secunda est prudentia, i. e. rectus & perspicax intellectus iudicandi, quibus hominibus aut quomodo benefacere, hoc est, bona illa procurare conueniat. Tertia est placidus voluptatis sensus aut letitia, ex voluntate benefaciendi & prudentia circumspicte adhibita, ad mentes eruditionis veræ capaces, resultans.

MEDITATIO II.

Quid sit pretium & quotuplex.

§. XI.

Quid Eruditus, quid pretium, quid premium eruditionis sit, declaratur.

E*ruditum iam considero tanquam hominem scientia pollentem, qui animæ suæ potentias dirigere nouit ad acquirendas, possidendas, & augendas in mente sua perfectiones diuinas. Talis vero citra dubium comparabit status sui præteriti, præsentis & forte futuri perfectiones, cum sua præsentis conditione, aliorumque animi habitu, qui vel nullis vel æqualibus vel maioribus illustrantur virtutibus aut perfectionibus, vt intelligat, quantum in melius profecerit mens sua, perpendens imprimis characteres eruditionis §. 10. positos. Hanc vero æstimationem pretium appellabo, illudque in genere definiam, quod sit iustæ rei æstimatio, quantum quæque res habeat perfectionum, quæ aliquando vsui esse possint. Quoniam autem notatio hæc ad materialia, rationalia & pure spiritualia generatim applicari potest, igitur in specie Eruditionis pretium voco, quod sit iustæ*

Ita aestimatio aut valor perfectionum, quas aliquis sibi acquisiuit, per legitimam mentis suae dispositionem, ut eas a DEO reciperet.

§. XII.

Quale vero aut *quotuplex* pretium statuendum erit? Secundum perfectionum §. 8. & 9. explicatarum diuersitatem erit illud equidem varium, sed *triplex* potissimum. Perfectioni *pure spirituali* & diuinis simillimae statuatur pretium pure spirituale, cuius insigne erit *tranquillitas animi* (a) & *libertas conscientiae*. (b) Perfectionibus *rationalibus*, quales sunt scientiae naturales, statuatur pretium rationale, cuius insigne erit, *honor, reuerentia & existimatio*. Perfectioni *materiali* statuatur pretium materiale, cuius signum erit *nummus*, qui omnis aestimationis materialis potestatem continet. Coeterum notari cupimus, nos *pretii* nomine precise intelligere valorem aut aestimationem, quam *animo apud nos de re quadam concipimus*, non vero *signum*, quo aestimatio nostra palam fit, utpote quod interdum abesse potest. *Quantum* autem pretium statui debeat unicuique, elucescet, ubi meditatione sequenti mensuram inuenerimus.

Quotuplex sit pretium, edisseritur.

(a) Ioh. XIV, 27. XVI, 22. (b) II. Cor. III, 17. Gal. V, 13. coll. Rom. XIV, 14. 22. 23.

§. XIII.

Sed quis citra errorem iustam istam perfectionum aestimationem, quod pretium diximus, definire poterit, cum ad illud scire necessum sit, quantum quisque perfectionum receperit? Sciet illud atque definiet rectissime Auctor & Dator perfectionum *Deus*, quem fugere

Quis pretium definire possit, proponitur

non potest quanti dederit. Sciet illud etiam *animis recipiens sensu* interno, modo rebus suis inuigilauerit, neque sibi aduletur, certe *actiones* suæ & *motus* ad eas huius testes erunt. Sed quis tertius præter datorem Deum & accipientem hominem illud noscet? Res opido difficilis, nec tamen extra vires. Sciet illud aut colliget de altero, qui *eodem tramite perfectiones pares aut maiores* reuera, non opinione tantum, iam sibi acquisiuit. Inferior autem aut rerum ignarus, hac in re silentio, iudicandi abstinentia, & imperitiæ confessione, modestiæ laudem feret.

MEDITATIO III.

Quid & qualis sit mensura pretii eruditionis.

§. XIV.

Quid mensura eruditionis notet, explicatur.

QVod in Architectonicis *regula*, in emptionibus venditionibus *mensura* appellatur, hoc ego in genere definitio *per legem aut normam*, ad quam rei valor aut *quantitas* exigi debet. Sed speciatim scire optabam quid *Eruditionis mensura* significet, quæ tanquam res immaterialis, mensura visibili expediri non poterat. Cognoueram *Eruditionem* esse scientiam recipiendi perfectiones, &c. (*vid. §. 7.*) *Pretium* vero *eruditionis* statui iustam perfectionum æstimationem, mente conceptam, & signo quodam declaratam, (*vid. §. 11. & 12.*) ex quo collegi deinceps: quod *mensura eruditionis* nihil aliud notet, quam *modum cognoscendi*, quantum quisque habeat perfectionum diuinis simillarum similiorum, aut saltem similium, ut secundum istarum excellen-

cellentiam & utilitatem, iustum ipsis statuatur pretium aut estimatio.

§. XV.

Vbi tamen mihi obscurum adhuc apparebat, quid *modus cognoscendi* indicaret, aut qualis is esse debeat, sine cuius vberiori explicatione nosse non poteram, *qualem* mensuram siue *quid pro mensura* eruditionis agnoscendum esset. Quod ut perscipuum euaderet, intelligebam, illud deduci posse vel *a priori*, colligendo a causa ad effectum, vel *a posteriori*, arguendo ab effectis ad causam. Prior modus uti oppido in hac materia sublimis est, ita me tantum contineo circa ea, quæ §. 6. de natura & proprietatibus diuinis, tum & §. 10. de eruditionis caractere & proprietatibus meditatatus eram, atque inde axioma, quod regulæ loco in mensura pretii eruditionis determinanda adhibere possem, *a priori* deduco: *Qui plures perfectiones diuinas (vid. §. 6. in fin. §. 8. & §. 10.) sibi comparauit, easque coniunctas possidet, eius eruditio grande meretur pretium. (vid. §. 12.)* Ex quo manat & hoc: *Qui nullas sibi comparauit perfectiones, iste nullum: Qui vero paucas aut inferiores (vid. §. 8.) possidet perfectiones, illius etiam eruditio paruum accipere debet pretium.* Satis equidem perspicuum videri posset axioma hoc, explicatis in superioribus omnibus eiusdem terminis. Nam quid perfectiones diuinæ significant, ostendit §. 8. & 6. Quid eruditio sit, noscitur ex §. 10. & 11. Quid esset pretium, §. 11. & 12. & quid mensura, §. 14. docuerat. Verum ut nullis deesse videamur, demus & alterum axioma *a posteriori* desumptum, haud minoris certitudinis, sed multo

Axioma I. ad inueniendam pretii eruditionis mensuram.

adhuc priori dilucidius, & ad inuestigandum eruditionis pretii mensuram, intellectu facilius commodiusque.

§. XVI.

Axioma II.
ad inueni-
endam pre-
tium eruditi-
onis men-
suram.

Perfectiones diuinæ eius sunt indolis, vt semper effectus salutares atque viles producant. Quare iam alterum in dijudicando pretio eruditionis expedire licet axioma: *Quicumque omnibus aut plurimis in re maximi momenti utilis est, illius eruditio secundum utilitatis rationem & gradus, grande meretur pretium.* Vnde & illud consequitur. *Quicumque paucis in re leuioris negotii utilis est, illius eruditio tenue deposcit pretium: Quicumque autem nemini utilis est, istius studium nullius est pretii.*

§. XVII.

Quid si uti-
litas, &
quod om-
nes pro-
pter vile
agant, pro-
batur.

Vtilitatis autem nomine intelligo bonum aliquod, quod vel anima tranquillitatem & conscientie libertatem, vel rationis & scientiarum cultum, vel corporis vires, vel etiam fortunas meas conseruat, auget aut exornat. (conf. §. 8. & 12.) Ex quo etiam apparet, quod a libi (a) iam probauimus, neminem mortalium vnquam, nisi desipuerit, actionem aliquam suscipere, nisi utilitatis in hac significatione acceptæ gratia. Id quod tum ex natura animæ §. 5. tum ipsius Dei §. 6. liquido apparet, & latius a nobis deduci posset, nisi breuitatis studium sequeremur. Neque obest nobis utilitas Carneadea, statuentis, non nisi ex commodo honestatis & iustitiæ nomina extitisse. Quæ admitti eius posset sententia, si utilitas idem ipsi esset atque bonum cum animæ tum corporis respectu. Iam vero cum utilitatem ad corpus solum retulisse dicatur, iure a nostra femouendus

est sententia
suum
factum i
est animæ sal
autem
primo lo
ordine
de eo,
b. 40. (5) P
ME
De utilit.
Utilitatem m
non perper
mes, obici
mor, ostend
ne breuiter qu
rationibus hinc
demonstrari
tum apud nos c
§. 9. specu
tudo eundem si
Theole
in genere
Physica, Mathe
mechanica, G
mechanica, & si
Physi
Mechanica

duſ eſt ſententia. Quod vero ſacræ literæ ſua (b) ſiue
utilitatem ſuam quærere in vitium computent, illud ea
ratione factum intelligitur, quod vulgo primaria, qua-
lis eſt animæ ſalus & quæ ad mentem pertinent, ultimo;
ſecundaria autem, uti ſunt corporis bona, ſtudioſius quam
par eſt, primo loco & ferme ſola quæri ſoleant, id quod
converſo ordine fieri debebat. (c)

(a) Diſſert. de eo, quod hominem omni ex parte felicem atque beatum
facit §. 40. (b) Phil. II, 4. 21. (c) Matth. VI, 33. coll. I. Theſſ. IV, 11.

MEDITATIO IV.

De utilitate ex ſuperioribus capienda.

§. XVIII.

Vtilitatem mihi paulo ante commendanti (v. §. 17.) Utilitas ha-
non perperam illud Caſſianum, *Cui bono* hæ ſpecu- rationum medi-
lationes, obiici poterat. Quod ne excidiſſe memoria tationum ſingulari
videatur, oſtenderam iuſta ſed pro argumenti amplitu- diſſertatione
dine breuiori quadam deductione, quod ex noſtris medi- ne aliquan-
tationibus hiſce, & vel ex foliis §. 15. aut 16. axioma- do explica-
te demonſtrari poſſet legitimus facultatum & disciplina- bitur.
rum apud nos conſtitutarum *ordo & dignitas*, cuius per-
breue §. 9. ſpecimen exhibet. Indicaueram porro, quo-
modo exinde ſimul perſpici poſſet, *quale quantumque*
pretium Theologiæ, Iuriſprudentiæ, Medicinæ, Philoſo-
phiæ in genere, Metaphyſicæ genuinæ, Arti diuinatoriæ,
Phyſicæ, Matheſeos tum puræ, tum mixtæ, atque ex hac,
Arithmeticæ, Geometriæ, Sphæricæ, Chronologiæ, A-
ſtronomiæ, & ſi placet Aſtologiæ etiam iudiciariæ, Chi-
romantiæ, Phyſiognomiæ, Architecturæ militari & civili,
Staticæ, Mechanicæ, Stereometriæ, Opticæ, Geographiæ,
Muſi-

Musicae, reliquisque speciebus, tum & Grammaticae, Criticae, Logicae, Oratoriae, Poësi & Historiae, imo & exercitiis equestribus, saltatoriis, gladiatoriiis, lusoriis cœterisque similibus ponendum esset. Eruditionis huius utilitatem, in conuersatione quoque *ad noscendos hominum animos* prodesse digito velut monstraram. Sed displicuit mox tractationis breuitas, cuius amplitudini compendiosa meditatio non sufficit. Et plenius institutum hoc aliquando me executurum, sperare iubet singularis gratiosissima Facultatis Philosophicæ in me benignitas, si satis non aliter volentibus studiis nostris locum porro concesserit, dissertatione altera, quod vouemus & precamur, singula vberius pertexendi. Cœterum ne plane *ἀσύμφολοι* discedere videamur, in duobus tantum sed vel præcipuis doctrinæ Politicæ & Iuris Naturalis capitibus utilitatem meditationum nostrarum per compendium ostendamus, quorum *unum* de valore rerum materialium siue de *pretio*, *alterum* de dignitate personarum, siue de *Existimatione* agit,

§. XIX.

Quæ pretium augeant vel minuant, in compendio recensentur.

Quæsitum est in politicorum scholis, *quid pretia rerum vel augeat vel minuat?* Aristoteles (a) mensuram pretii rerum materialium maxime naturalem facit *indigentiam*. Summus Vir *H. Grotius*, (b) & quem sequuntur *Pufendorffius*, *Bœclerus*, & omnium latisime *Vffelmannus*, arbitrati, necessitatem non esse vnicam nec sufficientem mensuram pretii, ad rectam huius mensuram determinandam adiungunt, *rationem negotii laborum & expensarum, copiam & inopiam eumentium, pecunie & mercium, luxuriam atq; cupiditatem hominum, damnum*

con.

quæritur, lacra
 res, rei rarit
 quæpi aliquid
 credendum
 quæ singulor
 (d) ait, q
 de Bodinus
 (f) Abund
 privilegia,
 & Princi
 minimum.
 ad Nicom
 (d) Elic. (d)
 Quæ rit per
 occupi & quide
 nocenti non
 vides oritur
 rit mensuram
 autem §
 quædam, aut ne
 commendare.
 rit pretii consti
 rationi adducta
 retere præfer
 ritores aliquant
 ritrem nostram
 rit multas ide
 rit rit, aut salt
 rit rit, quæ

consequens, lucrum, cessans, affectum peculiarem, vtilitatem, rei raritatem, & temporis atque loci circumstantias, quo aliquid precise prestetur. Quæ plerumque tamen secundum Ictum Paulum (c) non ex affectu nec vtilitate singulorum, sed quomodo communiter, siue vti alio loco (d) ait, *quanti omnibus valerent*, definienda essent. Io. Bodinus (e) autem quinque caritatis causas constituit, [1] Abundantiam auri & argenti, [2] monopoliorum priuilegia, [3] penuriam rerum, [4] voluptatem Regum & Principum, [5] pretium antiquioris monetæ imminutum.

(a) Moral. ad Nicom. V, 8. (b) Singuli in loc. ad §. 3. sup. cit. (c) l. 63. ff. ad Leg. Falc. (d) l. 33. D. ad L. Aquil. (e) Resp. ad Parad. Melestr. p. 11.

§. XX.

Quæ vti pererudite tradita sunt, ita nos ad rerum principia & quidem nostra (*vid. §. 17. §. 12. §. 5. & 6.*) animo conuersi non dubitamus, *vtilitatem* quæ ex rei perfectionibus oritur (*vid. §. 16. & 17.*) potissimam rerum pretii mensuram eiusque fundamentum constituere, reliquas autem §. 19. adductas pretii causas, vtilitatem neglectam, aut *necessariam* facere, aut magis *conspiciam* commendare. Rationes nostræ pro vtilitate in mensuram pretii constituendæ sunt, 1. Quoniam omnes hæc §. superiori adductæ rationes fundamenti loco & pro causa impellente præsentem vtilitatem agnoscunt, cum reliquæ rationes aliquando abesse possint, modo vox hæc ad mentem nostram definitione §. 17. explicatam intelligatur, vt vtilitas idem sit ac *bonum* aliquod, siue illud fuerit vere tale, aut saltem persuasionem aliqua conceptum. 2.

Vtilitas est
primarium
pretii re-
rum funda-
mentum.

Quia *omne, quod necessarium est, sit etiam vtile.* Et contra

C

tra

tra quod *nulle rei, quæ nemini hominum vnquam utilis (vid § 17.) esse possit, secundum ius & æquitatem neq; pretium imponi debeat. Rebus autem vtilibus pretium recte imponi posse, modo nostra potestati natura eas non exemerit.* De quarum veritate in ipso differtat. actū fortassis vberior disquirendi suppeditabitur occasio.

§. XXI.

Quid Existimationis fundamentum sit, docetur.

Adjiciamus paucula quædam de *Existimatione*, cuius fundamenta nostris meditationibus confirmari atque illustrari optime possunt. Cognito prius quod *Existimatio* sit *opinio de nostris perfectionibus, quibus præ cæteris aut insigniter excellimus; aut aliis nobis similibus pares sumus*, quorum prius existimatio *intensiva*, posterius *simplex*, Juris Naturalis Doctoribus dicitur; præcipuum in hac tractatione est, scire quo *fundamento existimatio* aut fama nitatur, & *quomodo comparetur*. Illustris Pufendorffius *fundamentum existimationis intensivæ statuit, omnia illa quæ insignem aliquam præstantiam & perfectionem, cui cum sine legis naturalis & civitatis convenit, habent, aut eandem censentur arguere.* Quæ non perperam fuisse tradita ab auctore, ex meditat. I. in primis ex §. 8. vti & 16. veluti a posteriore intelliguntur. Quales vero esse debeant & quomodo generentur perfectiones, veluti in sua origine perspicitur ex §. 5. 6. 7. & 10. Ex quo per compendium scitur, ad bonam existimationem generatim requiri *voluntatem benefaciendi, prudentem perfectionum acquisitionum usum, & studium voluptatem aut felicitatem hominibus conciliandi.* Vnde facile colligitur, nec prædones, piratas, furiosos milites, astutissimos fures, acerrimos Bachi immodicosque Veneris præliatores, vti nec infantes aut furiosos, similisque generis homines, existimationis nisi forte malignæ esse capaces, quod vel bona voluntate, vel prudentia intellectus, vel quietis aut felicitatis conservandæ aut procurandæ virtute destituantur.

§. XXII.

Quatenus existimationi aut famæ studendum sit.

Illud subiungere adhuc placet, quod satis perspicue ex superioribus intelligi potest, *quatenus nimirum existimationem aut famam tueri liceat.* Nimirum si possideat aliquis (vid. §. 8. 10.) per-

fectiones mu
pobendi, re o
peccare, (t
sistendi teme
commodat
parocinium
fidelis eius
ign
niterent
atendendi,
curus felo
suaru
manatur, (co
aufferri
longe al
eam suam ex op
is virtutum ful
sudent,
multitudinis a
nubere solent
De perfecti
rum cuius art
fundamentis, iur
finitio ab Imp
pedit similibus
totum nostrari
quædam, quam si
torem præfidi
quæ doctorum
quælibet, cu
tate philosophi
Exhibet equid
sua concepta
nihilatum t

perfectiones multis benefaciendi eosque ad similem felicitatem perducendi, vt commodum & voluptas ad illos exinde redeat, is certe peccaret, (*) qui aut occasiones se proferendi adeoque alius inferuendi temere negligeret; aut non tam in sui quam aliorum commodum, existimationis & famæ suis perfectionibus debita patrociniū suscipere nollet, si qui forent, qui sparsis rumoribus foedis eius benefaciendi studium impedirent, & infirmos atque rerum ignaros, a sua conuersationis aut institutionis copia auertere niterentur. Id quod faceret certe non studio peruicaciter contendendi, sed quantum per modestiam licet, atque satis est, vtpote cuius felicitas interna ex possessione & conscientia perfectionum suarum per rumusculos aut applausus nec augetur nec minuitur, (conf. §. 13.) cum isthæc nulla re præter mali animi habitum auferri aut adimi possint. Quæ tamen famæ defendendæ ratio longe aliter apud eos comparata est, qui existimationem suam ex opinione multitudinis tantum, non autem ex solido virtutum fundamento (vid. §. 12.) metiuntur aut sibi comparare student, qui vel ideo conseruandæ opinioni, instabili multitudinis applausui & erroribus innixæ, immoderatus incumbere solent.

(*) Matth. XXV, 27. Luc. XII, 48.

§. XXIII.

De perfectionibus virtutis togatæ & armatæ, atque an literarum cultus armis præferri debeat; De nobilitate generis, eius fundamentis, iure vti vocant præcedentiæ; quatenus etiam existimatio ab Imperante dependeat, aut auferri vel secus ab eodem possit, similibusque ex eodem fonte manantibus, ductu meditationum nostrarum (v. §. 8.) differi vbertim hoc loco possit, atque ostendi, quam singula isthæc habeant originem, aut quibus rationum præsidii muniantur publicatæ super his rebus decisiones atque doctorum hominum iudicia, nisi potius hæc ad forum longe sublimius, cui iustitiæ sacerdotes consulunt, quam ad nostrum intra philosophiæ cancellos conscriptum, pertinere dicerentur. Et nobis equidem præsentī dissertatione circa principia perbreuiter concepta potius quam deductas inde conclusiones versari constitutum erat.

C 2

§. XXIV.

De meditationum harum vilitate morali & iuridica differitur.

Generalis
utilitas Eru-
ditionis o-
stenditur.

(*) Rom.
XIV, v. 5.

Quapropter suscepti qui certe modicus est *laboris pretii loco in uniuersum* suffecerit, aliquantisper cognouisse, vere eruditi hominis præ stulto aut modice docto felicitatem, quæ in eo potissimum reponitur, vt sapiens circa actiones vel susceptas vel suscipiendas, nulla amplius dubitatione infausta & terroribus plena incertus agitetur, verum ex principiis probe perspectis, vel citra approbationem & applausum aliorum de *vita sua gestis certus sit* (*) & tranquillus. Ac proinde nullis conscientiaë scrupulis, quos ignorantia & in præceptis superstitio plerumque trahit, in rebus diuina prælucente gratia rite animo meditatæ, vellitur. De aliorum autem factis, non per externa solum, quæ introductus mos & opinio vel exigit vel prohibet, verum ex multo certiori scientia & principiis, rectum sibi ferendum esse iudicium intelligit. Cæterum ea sibi *studia excolenda* esse præcipue noscit quibus *utilitas manifesta*, i. e. vel *tranquillitas animi & conscientiaë libertas*, vel *rationis lumen & scientiaë humanae*, vel *corporis sanitas*, vel *denique fortunarum possessio*, aut quæ ad hæc nos præparant, in vita comparatur. Quoniam perdidicit, hæc benefaciendi via conciliari omnium optime animos posse, quorum fauor necessitatis pretio constat; & artem in quacunque re esse longam vitam, vero breuem.

COROLLARIA.

- I. Modice in eruditione profecit, qui facile offenditur. Vid. Meditat. nostr. §. 24. 8. & 12.
- II. Pædagogicæ eruditionis character est, res leuioris momenti vel plane negligere, vel nimis extollere. V. §. 17. & 12.
- III. Non multa scire, sed multis prodesse præclara est eruditio. V. §. 16. & 10.
- IV. Recte sentiunt, qui putant, nec Cartesium oraculum, nec Aristotelem fungum fuisse. V. §. 4.
- V. Omnes veritates sunt æternæ, sed non omnes vtilis nec omnes necessariz. V. §. 7. 10. & 17.
- VI. Recte *On. Bernulli* argumentum Cartesii pro existentia Dei, ab eius Idea a priori petitum, & quod *P. Poiret de Vera methodo inueniendi Verum part. 3. §. 4.* præstantissimum, mirabile & validum appellat, vitiosum & sophisticum dicit in iudicio quod Basl. 1699. prodiit, §. 10. 12. & 13. Melius est alterum eius a posteriori desumptum. V. Medit. nostr. §. 6.

F I N I S.

